

§. XII. Interjura humana jus Gentium primastenet,
qvod alii hoc alii illo modo describunt uti videri possunt
Dd. ad §. 1. & 2. J. de J. N. G. & C. itemq; l. 1. & 2. de J.
& J. Nobis placet cum Magnif. Domino Ziegel: in Not: ad
Grot. loco superius cit: aliisq; Dd. distingvere inter jus
Gentium Primarium & Secundarium. Ubi illud nobis coin-
cidit atq; recurrit cum jure Naturæ secundario, qvæcunq; er-
go præcepta eo referri possunt, ea nos qvoq; referimus ad jus
Gentium primarium observatis unà iterum iis qvæ de præce-
ptorum affectionibus & adjuncto inseparabili diximus. Jus
Gentium Secundarium autem & qvod proprie jus Gentium
dicitur illud dicimus: qvod ab hominibus inventum est, men-
tis qvadam agitatione comparatis inter se rebus excogitatum
usu & necessitate exigente, adeoq; non tam rationis luce exor-
tum ut primævū, illud, qvā ratiocinatio in ductu collectū & usu
exigente accommodatum non tam naturæ integræ bonitati,
*qvam corruptæ necessitati. *Magnificus Dominus Ziegel. in not.**
ad Grot. p. m. 52. inde jura belli, pacis, fæderum, captivitatum,
servitutum itemq; contractuum ortum suum habuerunt §. 2. J.
d. J. N. G. C. Qvod si tamen qværas de fundamento obliga-
tionis Juris Gentium non aliud forte qværendum qvam qva-
tenus hoc jus vel ad Naturale vel Civile referri potest. Qvod-
cunq; ergo obligationem largitur præceptis Juris Naturæ vel
Civilibus idem etiam pro diverso respectu Juri Gentium robur
accommodabit.

§. XIII. Jus Civile qvatenus tale cuilibet reip. aut civita-
ti proprium est arg. §. 1. *J de J. N. G. & C. habetq; vim obligandi*
ex superioris voluntate vel expressa vel tacita. Prius fit qvando
is qvi summæ rerum præst expressa sanctione civibus suis jura
præscribit. Illa jura seu leges versantur vel circa indifferentia
vel circa jam jure naturæ aut divino præcepta aut prohibita. Si
legibus suis Magistratus comprehendit ea, qvæ jam jure divino
vel Naturæ præcepta aut prohibita sunt, nihil qvidem novum
promulgat, cum & ante legem à se circa hæc atq; talia latam
subditi iisdem obediere debeant, siq; contra fecerint puniri pos-
B 3 *fint,*